Quaestio medica Cardinalitiis agitanda disput. In Scholis Med. die mercurii 24 februarii, M. Georgio Arbault Doctore Medico Moderatore.

An hystericis vinum?

Hominem ἑρμαφρόδιτον, in marem et foeminam non divisum initio creatum esse platonica fabula. Hoc et numero, ista sexu, et varietate partium naturae fuerunt ambo ad prolis generationem, speciei que conservationem libidinis stimulis donati: quibus tanquam oestro perciti ad mutuos amplexus, alioqui foedos et divinae animalis maiestate indignos impellerentur. Mas in alio generat, foemina, natura rotunda, in seipsa: utroque seminis prolifici beneficio. foeminam absque mare concepisse, molam (quae nec ἔμψυχος, nec ἄψυχος non expectato partus tempore debet eiici) gestasse non minus ἄλογον, quam aliquas in mares degenerasse ridiculum.

Uterus mulieri insitus utcunque excipiendo, fovendo, concipiendoque semini dicatus: in quo tamen frustra reciperetur, nisi sanguine altero nostrae generationis principio foveretur, nutriretur: quo solas mulieres (quae vel magis aegrotant, ista minus vivunt) abundare naturae placuit. Uterum in intemperiis fluore desinat, suffocatur, inde et ex corrupto semine infinita propemodum symptomata, ex semine quam sanguine graviora, ex utroque gravissima: non ab utero desiliente undequaque mobilis assurgit, sed a putrido vapore excitata.

Non ubique haec eadem, sed pro vario quem maligna illa aura impetit loco variat indicium facilis. nam si repat ad cerebrum maniae, melancholiae, σπασμοὶ (qui si ἄπυρεοι εὐχερεῖς) deliria: si ad cor palmos: si ad ventriculum nausea, vomitus, pica; si ad diaphragma dyspnoea sequitur. Hinc πάθος ὑστερικὸν (cui superius admota foetida noxia, inferius odorata proficua) interdum nuptas, saepius viduas ac virgines, hoc seniores magis quam iuniores exagitans.

Horrendum malum horrendâ hinc inde stipatum symptomatum catenâ: praesertim mentis torpor, loquelae, faciei pallor, vultum gelidae mortis speculum. adstans gravis sopor, ἄφωνα sensuum et vocis interceptio, nervorum contractio, modo risus, modo lacrymas, utrumque saepius, aliquando plane intercepta respiratio, totius corporis habitus refrigeratio, virium que languor. quae subsequuntur oculorum humiditas, ventris strepitus, uteri relaxatio, nervorum ac totius corporis lassitudo.

Haec ex naturalis particulas, vitales, animales ascititio frigore torpere indicant, ista et nativi caloris eo tempore reluctantis reditu revocandas. Calorem vinum tenue, fulvum, odoratum revocat, spiritus omnes reficit ac reparat, cor exhilarat, vires que resuscitat: sicque natura robustior reddita in causam morbificam, (victu tenui et εὐχύμῳ, venae sectione, et frequenti purgatione oppugnandam) insurgens bellum indicit, pugnat, triumphat.

Ergo hystericis Vinum.

Afferebat Ludovicus Robillart Parisinus. Anno R. S. H. M. DC. XVI.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE